

nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae die 20. Junii 1824.  
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 75.)

7) Quomodo lucrandum a Monialibus, Anachoretis, Erem., Carceratis et Infirmis?

Vd.: *Bullam Innoc. X.* in Bull. r. t. V. p. 476 (ed. Luxembg. 1727) de die 12. Febr. 1650; *Bull. Urbani VIII.* die 2. Maji 1624 (*Ibid.* t. IV. p. 51); *Bull. Clem. X.* die 6. Febr. 1675 (*Ibid.* t. XI. p. 118); *Bull. Bened. XIII.* die 12. Jan. 1725 (*Ibid.* t. XIII. p. 140); *Bull. Bened. XIV.* die 17. Decemb. 1749 (*Ibid.* t. XVIII. p. 149); *Bull. Leonis XII.* die 1. Jan. 1826 (Collectio General. Archid. Monaco. Fris. I. 169); *Bull. Pii VI.* die 26. Febr. 1775 (Bull. r. Continuatio t. V. p. 6. Ed. Rom. 1842.)

Leo PP. XII.

Studium paternae charitatis, qua universas Domini gregis oves complectitur, Nos adigit, ut ad ea salubriter procuranda, quibus majora ipsis commoda in animarum bonum praesto sint, impense contendamus. Cum itaque ingentem eorum numerum mente concipiamus, qui legitima causa praepediti nequeunt ad beatorum apostolorum limina pro indicto a Nobis anni sancti jubileo, uti iisdem in votis esset, convolare, exemplo praedecessorum Nostrorum decrevimus ipsis etiam consulere, ne coelestium thesaurorum, quos hic reseramus, communicatione sese orbatos derelinqui lamententur.

Constitutioni proinde felicitis recordationis Benedicti XIV. quae incipit: *Paterna charitas*, plane inhaerentes, praesentium literarum tenore opportunas rationes praescribendas censuimus, per quas tam viri, quam mulieres in cremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes

seu in custodiis et carceribus detenti aut morbis et infirmitatibus procul ab urbe impediti, etiam ad ipsam urbem non accedentes, neque sacras apostolorum memorias et patriarchales ejusdem Urbis basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum concessique a Nobis plenarii jubilai participes effici valeant.

Ut autem nemini dubium oriri possit, quatenus personae sub harum literarum providentia comprehendantur, in primis moniales omnes, quaecumque solemniter religionis vota emisserunt et in monasteriis sub perpetuae clausurae legibus sive locorum ordinariis sive regularibus superioribus, sive apostolicae Sedi immediate subjectae vivunt; earum quoque novitias aliasque virgines seu mulieres saeculares, educationis aut alia de causa, cum opportunis licentiis in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum hujusmodi moniales, quae aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitias, educandis aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosae clausurae legibus adstrictae non sint; tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitias, educandis aliisque saecularibus personis in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent earumque institutum nec unquam ad hunc diem ab apostolica Sede approbatum aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, praesentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas, atque mulieres in conservatoriis degentes, quamvis nec monialium nec oblatarum, nec tertiariarum numero habeantur neque clausurae legibus subjectae sint, tam in

urbe quam extra eam ubique locorum et gentium existentes, praesentis concessionis favoribus uti, frui et gaudere posse volumus et declaramus.

Item *anachoretas et eremitas*, non quidem eos, qui nullis clausurae legibus adstricti sive collegialiter et in societate sive etiam solitarii sub ordinariarum etiam regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt, sed eos, qui in continua licet omnimode perpetua clausura et solitudine contemplativae vitae exercitiis dediti alter ab altero seorsim degunt, etiamsi monastici aut regularis ordinis et instituti professores existant, uti Cisterciensis aliquot et Chartusienses monachi et eremita s. Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

Ad eos etiam utriusque sexus Christianos, qui in *captivitate apud hostes* quoquo modo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum ex civilibus aut criminalibus causis in *carceribus* tam Episcoporum aliorumque ecclesiasticorum Superiorum et tribunalium quam saecularium principum et magistratuum et ad regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causae expeditae sint vel quia tempus poenae eisdem impositae non adhuc sit elapsum; quive, ex Superiorum quorumcumque praecepto aliquem locum aut civitatem carceris et custodiae seu exilii et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in *triremibus* seu alibi ad opus damnati eique addicti reperiuntur: ejusdem praesentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, qui *carceribus tribunalis sanctae Inquisitionis* inclusi ubicumque detinentur, ea quae paternae providentiae Nostrae opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis officii praescribere non omitteremus.

Denique *ad infirmos* pariter utrius-

que sexus tam laicos quam ecclesiasticos, sive saeculares sive cujuslibet ordinis, congregationis et instituti regulares, qui nempe extra urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta medici judicium non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum jubilai annum ad urbem conferre se valeant, vel qui, licet de hujusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo et recidivae periculo, Romanum iter conficere possent, quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes in actualem facile morbum aliudve grave corporis incommodum incidere possent, ac demum ad senes septuagenario majores; quaecumque inferius praesentibus literis respective statuuntur, spectare et pertinere volumus et pertinere volumus pariter et declaramus.

Hos itaque omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animae recolentes totoque cordis affectu detestantes salutaris poenitentiae sacramento et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum divinae mensae convivium, innocentiae et charitatis stola ornati, reverenter accedant, Deumque optimum maximum, per unigenitum filium ejus ac per merita beatissimae virginis Mariae et sanctorum apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum juxta Nostram Ecclesiaeque mentem enixis precibus orent, pro ejusdem Sanctae Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, catholicorum principum concordia et totius christiani populi tranquillitate et salute, in cumque finem alia tum voluntaria, tum sibi in locum visitationis quatuor basilicarum Urbis ab ecclesiasticis superioribus, ut infra, injungenda religionis, pietatis aut charitatis opera devote peragant et exequantur.

Nos enim venerabilibus fratribus Episcopis aliisque locorum Ordinariis per praesentes committimus et demandamus, ut monialibus, oblatiis, tertiariis aliisque superius expressis puellis sive mulieribus, tam sibi quam Nobis et Sedi apostolicae immediate subjectis, in eorum civitatibus, dioecesis et territoriis existentibus anachoretis quoque et eremitis, carceratis et morbo seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis atque etiam ab illa exemptis, quatenus saeculares personae aut extra claustra forsitan cum debitis licentiis regulares existant, regularibus autem praelatis et superioribus, ut subditis sibi monialibus et si quae sint oblatae aut tertiariae ipsorum regimini subjectae et ab ordinariis jurisdictione exemptae earumque novitiis aliisque in earundem monasteriis et communitatibus, ut supra, degentibus extra urbem, nec non religiosis anachoretis sive eremitis aliisque religiosi in carceribus claustralibus detentis sive infirmis et senibus septuagenario majoribus, congrue religionis, pietatis aut charitatis opera aequabili disciplinae et indulgentiae moderatione servata, sive per se ipsos sive per prudentes confessarios designare et praescribere non omittant, quae illi et illae, loco visitationum quatuor basilicarum et ecclesiarum intra et extra Urbis muros, a Nobis pro consequendo hujus anni sancti jubilaeo, praescriptarum, juxta singulorum statum, conditionum et valetudinem ac loci et temporis rationes, respective exequi et implere possint ac debeant et quorum implementum Nos in earundem visitationum locum ad effectum ipsius jubilaei consequendi auctoritate apostolica commutando subrogamus.

Pro monialibus autem, oblatiis et tertiariis quibuscunque hujus almae Urbis earumque novitiis nec non

puellis atque mulieribus tam in praedictarum monasteriis et communitatibus quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus et pro carceratis in ejusdem Urbis carceribus volumus, ut ad dilectum filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinem Nostrum in ipsa urbe ejusque districtu Vicarium in spiritualibus generalem ejusve vices gerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos sive per prudentes confessarios facere, omnino spectet atque pertineat.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia et praedictorum beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi atque solvendi potestate, omnibus et singulis praefatis monialibus, oblatiis, tertiariis aliisque puellis, sive mulieribus in monasteriis ac religiosiis piisve communitatibus viventibus, anachoretis, eremitis nec non utriusque sexus captivis et in carcere sive in custodia detentis atque infirmis et senibus vere poenitentibus et intra praesentem Jubilaei annum rite confessis ac sacrae communionis refectis Deumque optimum maximum, ut supra dictum est, orantibus aliisque sibi in locum visitationis praedictae injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus, atque etiamsi, eorumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem etiam duabus vicibus intra ipsius anni sancti decursum, si omnia praemissa opera injuncta iteraverint, per eorum singulos consequendam, non secus ac ipsi et eorum quilibet, praemissa in hac alma Urbe exequentes et quatuor basilicas ejusdem urbis, pro quibus visitandis jubilaeum ipsum et indul-

gentia per Nos concessa fuit, eodem jubilaei anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur et consequi possent tenore praesentium ac de apostolicae liberalitatis amplitudine concedimus et elargimur.

Eisdemque monialibus earumque novitiis, ut, ad effectum praesentium et pro prima vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares vel cujusvis ordinis regulares, a locorum respective ordinariis ad audiendas monialium confessiones actu approbatos quoscunque, caeteris autem supradictis anachoretis, eremitis nec non oblatiis, tertiariis aliisque puellis et mulieribus, in monasteriis et religiosiis ac piis communicationibus seu conservatoriis conviventibus et Christifidelibus captivitate, carceratione aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus et cujusvis ordinis, congregationis et instituti, etiam specialiter nominandi regularibus ut ad effectum hujusmodi et pro prima pariter vice dumtaxat, confessarios presbyteros saeculares sive cujusvis etiam diversi ordinis regulares, ab ordinariis similiter, in quorum civitatibus, dioecesis et territoriis confessiones hujusmodi excipientes erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas actu approbatos quoscunque eligere valeant.

Utque confessarii sic dilecti, illorum confessionibus diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam apostolicae Sedi reservatis, etiam in bulla die Coenae Domini legi solita contentis, absolvere; injuncta ipsis poenitentia salutaris aliisque juxta canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas injungendis ac praesertim, quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causae nondum conclusae sunt, iisdem serio ad-

monitis de obligatione, qua tenentur, iudicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus veritatem aperire; quodque hoc animi proposito carentes, absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno susciperent; si autem cum hujusmodi veritatis fatendae proposito aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane et salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas poenas evitandas prodesse poterit.

Utque praeterea confessarii, a monialibus, oblatiis, tertiariis aliisque puellis et mulieribus supradictis ad praemissum effectum electi, iisdem monialibus, intra monasteria clausurae legibus subjecta solemniter professis, vota quaecumque post professionem emissa et cum eorum observantia regulari compatibilia, dispensando commutare; oblatiis vero, tertiariis et tam istarum, quam praedictorum monasteriorum novitiis caeterisque puellis sive mulieribus saecularibus in eisdem monasteriis et oblatarum aut tertiarum domibus et communitatibus, nec non in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus aliave causa et ratione, cum debitis licentiis, commorantibus, omnia et quaecumque vota, exceptis illis, quae Nobis et apostolicae Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare easque omnes et singulas, facta commutatione hujusmodi ab emissorum votorum, etiam juratorum observantia, absolvi possint et valeant, dicta auctoritate apostolica et earundem tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et indulgemus.

Non obstantibus Nostris super indictione jubilaei praesentis anni in hac alma Urbe et super suspensione in-

dulgentiarum et facultatum eodem jubilaei anno vertente, nec non praedecessorum Nostrorum de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque apostolicis et in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus et reservationibus etiam in eadem bulla Coenae contentis, nec non quorumcumque etiam mendicantium et militarium ordinum, congregationum, societatum et institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, societatis et instituti hujusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio facienda vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis et formis pro exactissime servatis habentes: pro hac vice et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus caeterisque contrariis quibuscunque.

Caeterum venerabiles fratres Episcopus aliosque locorum ordinarios hortamur, ut Nostrae apostolicae Sedis benignitatis exemplo permoti, confessoribus per praedictos omnes ad earundem praesentium effectum respective eligendis, facultatem absolvendi eisdem a casibus sibi respective reservatis impertiri non recuset.

Datum Romae die 18. Decb. 1824.  
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 290.)

### 8) Quomodo lucr. a militib. per Romam transeuntibus?

Leo PP. XII.

Aeterna animarum salus, ob quam Christus Jesus tantos passus est cruciatus, haud patitur de illis praecipue Nos parum esse sollicitos, qui tum ad reipublicae incolumitatem procurandam tum ad legitimorum principum jura tuenda stipendia merentes non solum diros diu noctuque perferunt labores sed et ipsam vitam in discrimen offerre non renuunt. In hac cura defixi, quum dilectus filius Baro de Frimont summus copiarum carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris et Hungariae regis illustris, quae in regno utriusque Siciliae versantur, dux Nobis exponi curaverit per dilectum filium equitem de Gennotte ejusdem serenissimi imperatoris apud Nos negotia gerentem, earum agmen quod Austriam repetere jussum quamprimum per hanc almam Urbem iter esse facturum militesque illud constituentes vehementissime exoptare hac temporis et loci opportunitate indulgentias sacri hujus anni consequi posse, postulationibus ac votis ejusmodi libenter atque alacriter annuimus.

Nos igitur summa cum animi Nostri laetitia eorum exercituum pietatem intuentes, qui iterum iterumque hic atque alibi non indubia praetulere specimina erga catholicam Ecclesiam et hanc apostolicam Sedem religionis et observantiae, quique eximia virtute ac militari disciplina semper inclaruere, coelestes Ecclesiae thesauros, quos fidei Nostrae potissimum credidit Altissimus, hoc anno praesertim plena manu effundentes, ut Christi assectae, quantum in Nobis est, facilius aeternam beatitudinem assequi possint, omnipotentis Dei in suos filios misericordia freti et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi om-

nibus et singulis militibus aliisque ad copias illas pertinentibus, qui hoc piaculari anno per hanc Nostram Urbem transierint, quique dolenter confessi peccata sua et sacrosancta Eucharistia refecti basilicam Principis Apostolorum junctim adierint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, concedimus et indulgemus, ut eis pia opera hujusmodi instar sint quindenae aditionis ad quatuor Urbis delectas basilicas pro advonis designatae et ita omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenarum, quas commeriti pro illis sunt, relaxationes consequantur, quas datum esset eis consequi, si cetera imperata facientes, unamquamque e praescriptis quatuor basilicis quindecies illi hoc anno sacro adiissent.

Id concessum et indultum volumus non obstantibus Nostra et cancelariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et sanctionibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die prima Julii 1825.

(Bull. r. Contin. t. XVI p. 331.)

### 9) Terminatio.

Orta contentione circa terminationem Jubilaei proxime indicti per SS.: an quindecim dies apposti in Brevi et publicati in I. Dominica mensis, finiant in III. Dom. inclus. vel exclusive? S. C. resp.: Inclus. n. 773 die 20. Novb. 1628.

### JUDAEI.

#### 1) Baptismus.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 28. Febr. 1747. (Bull. r. t. XVII. p. 110-137.); *Constit. Bened. XIV.* die 15. Decb. 1751. (Ibid. t. XVIII. p. 247-260.)

#### 2) Matrimonium.

*De abusu libelli repudiü Conversorum a Judaismo ad fidem cath.*, vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 16. Sept. 1747.

(Bull. r. t. XVII. p. 186.)

*De matrimonii validitate inter virum Judaeum et mulierem haeticam*, vd.: *Constit. Bened. XIV.* die 9. Febr. 1749. (Ibid. t. XVIII. p. 3.)

### S. JULIANA FALCONIERI.

(Hymnus.)

Vd.: *S. Venantius* (hymnus; decr. n. 4746)

*De ejus Canonis.* vd.: *Bull. Clement. XII.* die 16. Jun. 1737.

(Bull. r. t. XV. p. 141.)

### JURAMENTUM.

*De innovatione Constitut. Nicol. III. et aliarum sanctionum contra jurantes vel jurare Facientes illicita, impossibilia, damnosa et ecclesiasticae libertati ac decretis Concilii Trid. adversantia*, vd.: *Constitut. Greg. XIII.* 5. Sept. 1584 in Bull. rom. tom. II. p. 513.

### S. JULIANUS EP.

Vd.: *Festum ss. Nominis Jesu* (transl. decr. n. 4442 et 4581).

### JURISDICTIO.

#### 1) Super cadaver.

Vd.: *Cadaver* (Jurisd.)

#### 2) Stola, num Jurisdictionis signum est?

Vd.: *Stola* (Num Jurisd. etc.)